

**Zeitschrift:** Mitteilungen der Antiquarischen Gesellschaft in Zürich  
**Herausgeber:** Antiquarische Gesellschaft in Zürich  
**Band:** 12 (1858-1860)  
**Heft:** 6

**Artikel:** St. Gallische Denkmale aus der karolingischen Zeit  
**Autor:** Dümmler, Ernst  
**Kapitel:** II: In adventu Karoli filii augustorum  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-378768>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 15.03.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

uiue meae uires lassarumque anchora rerum  
10 naufragio et litus tutaque terra meo<sup>4)</sup>;  
solus honor nobis, urbs tu fidissima semper  
curisque afflicto tuta quies animo.  
sintque licet montes inter cum fluctibus arua,  
mens tecum est, nulla quae cohibetur humo.  
15 te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris,  
exoptans animo prospera cuncta tuo.  
qui mihi te notum dedit et concessit amicum,  
conseruet sanum Christus ubique mihi.  
ante solum terrae caelique uolubile cyclum  
20 praetereant, uester quam quoque cesset amor.  
hocque pater monui, moneo te iterumque monebo,  
sis memor ipse mei, sicut et ipse tui,  
ut deus in terris quos hic coniunxit amicos,  
gaudentes pariter iungat in arce poli.

II.

IN ADVENTV KAROLI FILII AVGVSTORVM.

- |   |   |   |  |
|---|---|---|--|
| 1 | Ecce uotis apta uestris<br>uenit hora, psallite;<br>gaudium cordis patescat<br>claritate carminum.<br>salue regum sancta proles<br>care Christo Carole. | 5 | In te terra nostra patrem<br>suscipit cum fratribus,<br>cum quibus tibi decora<br>pars honoris permanet. salue   |
| 2 | Nullus ordo, nulla rerum<br>nunc silescat uastitas,<br>mens et lingua, cor, uoluntas<br>laudem dando personet. salue etc.                               | 6 | Ferte nabla tibiasque,<br>organum cum cimbali,<br>flatu quicquid, ore, pulsu,<br>arte constat musica. salue      |
| 3 | Credimus superna uotis<br>angelorum milia<br>nostris congaudere digne<br>ut dicamus cernui: salue etc.  | 7 | Dicat omne plebis agmen,<br>clerus ipse primitus,<br>diues, pauper, sospes, eger<br>consonent in laudibus. salue |
| 4 | Anna uatem, Sarra risum<br>non fudit libentius,<br>quam te toto nunc tenellum<br>corde mulcet Augia. salue  | 8 | Te Maria sancta uirgo<br>cum subiectis omnibus<br>in salutem christianam<br>protegat feliciter. salue            |

4) terraneo *H terra meo Brower.*

- 9 Turba quod simul piorum,  
qui deo sunt proximi,  
actitet penes supernam  
poscimus clementiam. salue
- 10 Gloriam dignam triformi  
pangimus potentie,  
que te sanum uexit istuc  
Francorum per regmina. salue.

IN ADVENTV HLOTHARII IMPERATORIS.

- 1 Innouatur nostra letos  
terra flores proferens.  
uer nouum presentat estas  
dum datur te cernere.  
imperator magne uinas  
semper et feliciter.
- 2 Gaudeat totum tuorum  
agmen hic fidelium  
omnis etas, omnis ordo  
corde dicens intimo:  
imperator etc.
- 3 Extet aduentus beate.  
nunc tue presentie  
gaudio plenus sereno  
et fauore simplici. imper.
- 4 Iuste, felix et benigne,  
mitis et piissime  
pande mentis hic nitorem  
nostra complens gaudia. imper.
- 5 Quod minus digne ualemus  
seruitute debita  
hoc tui donet fauoris  
leta nobis gratia. imper.
- 6 Sancta, Lothari, Maria  
uirgo te cum fratribus  
et simul cum patre magno  
seruet, armet, protegat. imper.
- 7 Et Valens iunctus beatis  
hoc precetur omnibus,  
uestra pax ut pace cunctos<sup>1)</sup>  
firmet apta subditos. imper.
- 8 Intus, extra, longe, iuxta  
fulgeat concordia,  
Britto cedat atque Bulgar,  
omnis ardor hostium. imper.
- 9 Vita, uirtus et potestas,  
robur et uictoria,  
fama felix te sequatur  
atque uite premia. imper.
- 10 Summa summe trinitati  
sit per eum gloria,  
que gubernet et coronet  
te per omne seculum. imper. finit.

Rex uiuat ualeat iugiter per secula nocte R  
egregius forma, specie clarusque parent E.  
Christe potens terris caelestis perueniat pa X,  
ut meritis ualeat uenerando crescere uult V  
5 esse etiam possit cuncto<sup>2)</sup> preclarus in orb E  
namque fides crescat populorum, crescat et agme N  
ecclesiae, regnat quae<sup>3)</sup> quadro cardine terra E

1) cunctos H. 2) cuncta H cuncto verb. Wattenbach. 3) regnatque H

	rege tuente cato. rex nunc mea dicta libente	R
	accipe corde pio, sic perlege mente seren	A.
10	namque caducus honor uolitans et inutile nome	N
	deficit et tempus rapidum dum cernimus illu	D
	esse nihil poterunt transacte gaudia uita	E.
	mille modis fragilem uexat sors aspera mundu	M,
	est fumo similis florescens gloria terra	E,
15	omnia depereunt, turbatus deficit ord	O
	sic luctu, senio leto quoque uoluitur aeta	S
	ultima iam quoniam monstrantur tempora laps	V
	et properat finis tandem inreuocabilis ora	E.
	rex pie te cupimus meritis augescere <sup>1)</sup> sempe	R
20	semper ut in sacro moderamine sceptru guberne	S,
	ut proceres, medios, minimos discernere sens	V
	sub pietate queas, quia regum iusta potesta	S
	aeterna cum rege pio dominatur in aul	A.
	dogmata prudentum procerum seu tempore <sup>2)</sup> quicquid	D
25	uenit ab antiquo claro pandente senat	V
	egregia pro lege stude iam condere cord	E
	rerum <sup>3)</sup> sic poteris causas cognoscere recto	R. <sup>4)</sup>
	tales sepe uiri sceptris domino placuerun	T
	et meritis super astra micant in culminis arc	E
30	laetificum meruere <sup>5)</sup> poli stacione tribuna	L.
	in Christo ualeas, optamus magne Lothar	I;
	bellipotens Dauid, Salomon aut uictor Ioha	B <sup>6)</sup>
	et quicumque deo placuit laudatus in orb	E
	nunc super astra tuum tollat per secula nome	N.
35	tempora sint dicione tua tranquilla, patesca	T
	e celo ueniens nobis pax aurea terra	E
	recte <sup>7)</sup> regas populos generosos atque potente	R.

Expliciunt uersus.

#### VERSVS AD REGEM SVSCIPIENDVM.

Salue proles regum inuictissimorum  
 dominus deus exercituum memoriale tuum. salue  
 et tu ad dominum deum tuum conuerteris. salue.  
 misericordiam et iudicium custodi. salue  
 5 et spera in domino deo tuo semper. salue  
 salue proles regum inuictissimorum.

1) augescere meritis H 2) tempora H 3) re cum H 4) reatoR H 5) me rueri H 6) iobaB H 7) regite H

ITEM DE VETERI TESTAMENTO.

Benedictus eris ingrediens et benedictus egrediens,  
benedictus in ciuitate et benedictus in agro,  
benedictus fructus uentris tui et fructus terrę tuę  
benedicta horrea tua et benedicta cellaria tua.  
5 dabit dominus hostes tuos corruentes in conspectu tuo,  
faciat te dominus excelsiorem cunctis gentibus.

VNDE SVPRA NOTKERI MAGISTRI.

1	Aue beati germinis omnis tibi militia	inuicte rex et inclyte occurrat ouans cęlitum.
2	Intacta Christi genitrix chorum pudicum socians	mater honora uirginum tibi procedat obuiam. aue.
3	Agonithetę apostoli omnesque sancti ordines	uictoriosi martyres semper uocent te laudibus. aue
4	Nos pro statu parui loci letantes pio domino	reique modo pauperis occurrimus in omnibus. aue
5	Hęc ipsa gaudent tempora aduentus omni gaudio	floreque uerno germinant, quando uenit optatior.

ITEM RATPERTI AD REGINAM SVSCIPIENDAM.

Aurea lux terrę, dominatrix inclyta salue,  
quae domibus nostris nunc benedicta uenis.  
larga maneto tuis semper clarissima seruis,  
qui tibi mente canunt, carmen et ore ferunt. au.  
5 plus hodie solito radiat sol clarus in alto,  
cumque serena uenis, nubila cuncta teris. quę  
floribus arua nitent, quia te nos uisere cernunt 1)  
foetibus atque solum germinat omne bonum. a.  
gloria magnificę rutilas celsissima Romae  
10 atque Italos radiis comis amoena tuis. q.  
at tibi se famulam prebet Germania fidam  
sepius et facie te cupit aspicere. a.  
caesaris ipsa decus populorum corrigis actus  
pluribus et ualidis imperitans populis. q.  
15 nunc sine fine uale miserans et nostra tuere  
sit tibi magna salus, laus, honor atque decus.

1) cernent H.

VERSVS HARTMANNI AD SVSCIPIENDVM REGEM.

Suscipe clementem plebs deuotissima regem  
ducque canens Galli tecta sub alta pii.  
iam benedictae ueni rector dignissime mundi,  
dextera te Christi protegat arce poli.  
5 actibus in cunctis tibi prospera cuncta superne  
proueniant uotis et sine fine piis.  
hoc nos instanter rogitamus pectore fido,  
hoc petimus omnes nocte dieque simul.  
te nobis blandum dederat dilectio Christi,  
10 qui nosmet tanta sedulitate foues.  
insita te nobis bonitas et sancta uoluntas  
ante dedit carum, quam quoque uisus eras.  
cernere nunc facem liceat uirtute nitentem,  
optio quod nostra sepe cupita fuit.  
15 rex dominus regum, factor rectorque potentum,  
qui te terreno pretulit imperio,  
hic te confortet semper uirtute polorum  
et secum regno letificet supero.

ITEM WALDRAMMI DE QVO SVPRA.

Rex benedictae ueni uisens habitacula Galli,  
Otmari tectis accipiende sacris;  
istud sanctorum concludit milia templum,  
quam subiens edem experiaris opem.  
5 iugiter ista suis te seruet turba sub alis,  
cuius reliquias hec tenet aula piis.  
Francia te Sueuis o rex direxit alendis,  
iam pecuare tuum pasce diu uiduum.  
Noricus et Sclauus, Bemanus, Saxo, Toringus  
10 corde manent alacri te dominante sui.  
occidue gentes Yspania, Gallia triplex  
se studeant propere sub tua sceptris dare.  
Italiae populus diuerso sanguine mixtus  
ad te pigmentis palliolisque ruat.  
15 Ebrus, Thermoodon, Trax, Nuchul, Bosforus, Vfens  
sumant maxillis iam tua frena suis.  
hos inter populos nostri miserere monarchos  
commonitus fido a Salomone tuo.  
fias placatus nobis maneatque misertus,  
20 quos stirps Scottorum suasit in hanc heremum.

ITEM DE QVO SVpra.

Imperatorum genimen potentum  
macte regnorum nouitate mira,  
semper antiquis famulis benigne  
rex miserere.

5 Francia reges micuere patres  
fulgidi regis Karoli per orbem,  
nec minus matres Alemanna tellus  
misit honoras.

Hic domus, hac est patria creatus

10 fautor Otmarus benedictus abba,  
Gallus ex Scottis ueniens beaui  
omnia nostra.

Barbaros terrens proprios foueto,  
cum quibus omnes orientis artes,

15 immo quadrati superabis arui  
summa uel ima.

Iuris et pacis moderator aequus,  
temperans, fortis uigeas per omne  
tempus hic degens, super astra caeli

20 hinc abiturus.

In susceptione principis. 1)

Salue festa dies, laudabilis atque beata,  
qua deus in seruum uidit ab arce suum. salue  
ecce redit princeps laudandus carmine nostro,  
gaudia sint, populo quod redit ille suo. qua deus

5 uiue diu princeps post plurima prelia uictor;  
undique deficiunt, qui tua dampna petunt. salue  
uirtutum meritis tua uita refulget honesta,

hinc te laude frui fecit in orbe deus. qua deus  
infula sincerum nunc ornet splendida uultum,

10 omnipotens tibi laus detur abinde 2) deus. salue

inuidia magna correptus presul iniquus  
inuidet atque gemit, quod deus ista facit. qua deus  
nequiter intendens te uincere uincitur ille,  
concidit in foueam, cuius et auctor erat. salue

1) Ueberschrift von späterer Hand. 2) obinde H.

15 defensus meritis in honore manens bone princeps,  
digne susciperis, psallimus inde tibi. qua deus  
nos tuus aduentus condigne psallere cogit,  
sit tibi pax, requies, sit benedicta dies. salue.

LETANIA RITHMICA.

Votis supplicibus uoces super astra feramus,  
trinus ut et simplex nos regat omnipotens. ky.  
sancte pater iuua nos, sancte fili salua nos,  
compar his et spiritus ungue nos intrinsecus. uotis  
5 sancta uirgo uirginum stella maris Maria  
tu pro nobis filium ora Christum dominum. trinus  
summe sedis minister, quis ut deus Michahel  
cum supernis ciuibus sit nobis propitius. k. l. trinus  
preco Christi Iohannes, agni dei ostensor,  
10 redemptoris baptista, tu nos deo commenda. uotis  
sancte Petre ac Paule cunctique apostoli  
uos orate pro uestris christianis populis. trinus  
iuncti sancto Stephano uniuersi martyres  
estote auxilio populo catholico. uotis l. k.  
15 sancte Galle succurre, sancte Otmare subueni  
nos cum confessoribus adiuuando precibus. trinus  
o martyr Felicitas cohors atque uirginum  
postulate pro nobis maiestatis dominum. k. uotis  
omnes sancti domini, angeli et homines  
20 uos ad aures diuinas ferte preces sedulas. trinus  
ut nobis remissio peccatorum donetur,  
aeris temperies terreque fertilitas. ky.  
pacem nobis impleret uestra intercessio,  
sanitatem corporum et perenne gaudium. k.  
25 ut famem et morbi uim amouere dignetur  
omnipotens dominus, optinete precibus. uotis  
ut seuiens gladius et paganus populus  
depellatur a nobis, te rogamus domine. trinus  
ut pastorem tueri nostrum uelis et clerum  
30 omnes simul oramus, Iesu Christe audi nos. k.  
ut rex noster Chuonradus eius et exercitus  
hinc et inde seruetur, oramus Christe audi nos. uotis  
ut cruore redemptum precioso populum  
conseruare digneris, oramus Christe audi nos. trinus  
35 animas catholicas in aeterna requie



confoueri iubeas, oramus Christe audi nos. k  
omnes tibi canimus, uniuersi clamamus  
uocibus et cordibus, oramus Christe audi nos. trinus  
oramus Christe audi nos, Christe Christe audi nos.  
40 kyrieleyson canimus, Christe eleyson psallimus. uotis.

III.

NOTKER LANTBERTO FRATRI SALVTEM.

QVID SINGVLAE LITTERAE IN SVPERSCRIPTIONE SIGNIFICENT CANTILENAE PROVT  
POTVI IVXTA TVAM PETITIONEM EXPLANARE CVRAVI.

- a. ut altius eleuetur admonet.
- b. secundum litteras, quibus adiungitur, ut bene id est multum extollatur uel grauetur siue teneatur belgicat.
- c. ut cito uel celeriter dicatur certificat.
- d. ut deprimatur demonstrat.
- e. ut equaliter sonetur eloquitur.
- f. ut cum fragore seu frendore feriatu efflagitat.<sup>1)</sup>
- g. ut in gutture gradatim garruletur genuine gratulatur.
- h. ut tantum in scriptura aspirat, ita et in nota id ipsum habitat.
- i. iusum uel inferius insinuat grauitudinemque pro g interdum indicat.
- k. licet apud Latinos nihil ualeat, apud nos tamen Alemannos pro x Greca positum chlenche id est clange clamitat.
- l. leuare laetatur.
- m. mediocriter melodiam moderari mendicando memorat.
- n. notare hoc est noscitare notificat.
- o. figuram suam in ore cantantis ordinat.
- p. pressionem uel prensionem predicat.
- q. in significationibus notarum cur queratur?<sup>2)</sup> cum etiam in uerbis ad nihil aliud scribatur, nisi ut sequens u uim suam amittere queratur.
- r. rectitudinem uel rasuram non abolitionis sed crispationis<sup>3)</sup> rogitat.
- s. susum uel sursum scandere sibilat.
- t. trahere uel tenere debere testatur.
- u. licet amissa ui sua ualde ueluti uau Greca uel Hebraea uelificat.
- x. quamuis Latina per se uerba non inchoet, tamen expectare expetit.
- y. apud Latinos nihil ymnizat.
- z. uero licet et ipsa mere Greca et ob id haut necessaria Romanis propter predictam tamen r littere occupationem ad alia requirere in sua lingua zitise require.<sup>4)</sup>

1) flagitat *verb. Rettig.* 2) quur quaeritur *verb. Rettig.* 3) caespitationis *verb. Rettig.* 4) requirit *verb. Rettig.*